



I. N. S. S. E. I. T.

DISPUTATIO PHILOSOPHICA,
De
PHYSICIS VARIIS,

Quam

IN FLORENTISSIMA SALANA

sub PRAESIDIO
VIRINOBILISSIMI, AMPLISSIMI ATQUE EXCEL-
LENTISSIMI

DN. CASPARIS POSNERI,
NATURALIUM PROFESS. PUBLICI CELEBRA-
TISSIMI, COLLEGII h. t. PHILOSOPHICI DECANI
SPECTABILIS,

Domini Praeceptoris & Patroni mei omni
observantiae cultu aeternum devenerandi,

publico Eruditorum examini exponit

STEPHANUS Fuhrmann /
LIPPIA - VVESTPHALUS, AUCTOR.

ad diem Augusti An. M. DC. LXX.

Horis solitis.

JENÆ, Prelo Bauhoferiano.



Σὺν παλάμῃ τῆς Θεῆς.

Præloquium.



Præclarè Romanæ fidicen Iyræ, Hora-
tius lib. I. Ep. I. cecinit :

Quid verum, atq; decens, curo & rogo, & omnis in
hoc sum :

Condo & compono, quæ mox depromere possim.

Ac ne fortè roges, quo me Duce, quo lare tuter.

Nullius addictus jurare in verba Magistri,

Quo me cunq; rapit tempestas, deferor hospes.

Nunc agilis fio & mersor civilibus undis,

Virtutis veræ custos rigidusq; satelles :

Nunc in Aristippi furtim præcepta relabor,

Et mihi res, non me rebus submittere conor.

Præclarè profectò ! ita cecinit Horatius. Philosophamur etenim liberè, nec sumus alienæ libidinis mancipia, neq; ὄγλοι τῶν ἀτόπων, ἔδὲ ὑπερῆπιτων εἰοσότων, sed jam huic, jam illi, ob rationes firmas, liberè assensum præbemus nostrum. Nec tamen eò vel extendenda vel evehenda libertas, ut abusum includat; (absit !) Verùm monet, ut sicut in amplissimo, juxta & suavissimo Philosophiæ campo, ità nec minus in hortulo Physico liberè obambulemus, liberè flores legamus & seligamus, selectos ad salubres usus conferamus. Hæc ratione & Ego motus ac commotus, non ignarus, quantum utilitatis ab ἀγωνισμασι καὶ ἀφελέξει in studiosam pubem redundet, in præsentī posthabitis ceteris omnibus materiis Philosophicis, etiam peculiari Themate neglecto, selectiores maximèq; inter acutissimos naturæ Mystas quæstiones controversas, ceu flores ex orto Musarum Physico decerptos, ingenuis Physices cultoribus offe-

A

ro;

ro; Theoremata scil. Pan-Physica, aliaque miscellanea, quæ occasione argumentorum Physicorum in disputationibus simul adduci solent à Doctoribus, quibus de publicam mox mox dissertationem instituere constitui. Ne verò illotis, quod ajunt, manibus qualem-
cunque hunc meum laborem aggrediar, recordor meritò Oraculi Salomonis Proverb. i. v. 7. ἡ ἀρχὴ σοφίας φόβος κυρίου: Cui saluber-
rimo monito obtemperans, Naturam naturantem DEum T. O. M. calidissimis invoco precibus, velit Spiritus sui S. lumine mihi adesse, me scientiâ suâ erudire, meosq; conatus divinâ suâ cooperatione clementer secundare, quò omnia in sui divini Nominis gloriam & honorem cedant! Sit itaque

§. 1. Quoniam omnis, quæ de re aliquâ suscipitur tractatio, à definitione proficisci debet, & ὁρμησὸς μεγάλην ἔχει ῥοπὴν πρὸς τὰ ἐπόμενα; Me quoq; operæ pretium facturum, si à Physices definitione auspicer, existimo.

§. 2. Rectè igitur & verè Physicam per corporum naturalium, quatenus naturalia sunt, scientiam definiri, cum Averroistis affirmamus.

§. 3. Objectum ejus, utut variæ de illo in scholis Physicorum circumferantur sententiæ; Ita, ut hi hodiè communiùs statuant, illi angustius fingant, alii rebus quidem convenient, verbis autem dissideant; Alii prorsus ἀμφίδοξοι καὶ διχογνώμονες, καὶ τῇ δὲ κακώσει κλίνοντες ὡς εἴπὶ πλάσιγος πρὸς ὑδέτερον ῥέψαι δυνάμενοι: Nos corpus naturale, qua tale, verum, genuinum & adæquatum dicimus.

§. 4. Valeant proinde I. Quamlibet essentiam corpoream & incorpoream fingentes. 2. Physicæ objectum corpus generabile & corruptibile, seu corpus naturale mixtum, ut mixtum, affirmantes. 3. Ens naturale propugnantes. 4. Ens mobile contententes. 5. Res seu creaturas visibiles & aspectabiles, vel corpus sensibile introducentes. 6. Corpus naturale caducum recipientes. 7. Corpus mobile somniantes.

§. 5. Principia prima, quæ partim Constitutionis, partim Transmutationis sunt, tria sunt, Materia, Forma, & Privatio, quicquid Ramæi, quidam Chymici, & alii Aristotelis rosos & osos effutiant in contrarium.

§. 6.

§. 6. Definiuntur rectissimè sic: Principia prima sunt, quæ nec ex sese, nec ex aliis, sed ex quibus omnia sunt.

§. 7. Principia inter sese sunt contraria.

§. 8. Principium etiam Physicum prius est principiato, vel eo, cuius est principium.

§. 9. Ex quibus corpora naturalia constant principiis, per illa quoque sunt cognoscibilia vel cognosci possunt.

§. 10. Tribuimus ex illis, Materiæ primum locum: Quia est omnium rerum infima, & propè nihil: Ex se informis & immutabilis: Omnium tamen formarum capax, omniumque mutationum primum subjectum; non tam ex se, quàm commutatione eorum, quæ in eâ versantur, apta cognosci à nobis.

§. 11. Materia prima reverâ datur, nec est somnium delirantis Physici, ut nugantur multi recentiorum.

§. 12. Eadem rectè sic definitur. Materia est πρώτον ὑποκείμενον ἐκάστων, ἐξ ἧς γίνεται ἡ ἐν ἀρχῇ, μὴ καὶ συμβεβηκός, εἴτε φθείρεται ἢ εἰς τὸ ἀφίξεταί ἕχατον. Latio ita sonat: Materia est primum cujuscunque subjectum, è quo inexistente unumquodq; non ex accidente generatur, & in quod, si quidpiam interit, postremò resolvitur.

§. 13. Materia prima generabilis & corruptibilis potest dici subjectivè, quatenus est radix generationis & corruptionis.

§. 14. Materia prima interim ingenerabilis est, & incorruptibilis, sed terminativè.

§. 15. Materia prima melius à nobis per analogiam cognoscitur, quàm per se.

§. 16. Materia prima pura est potentia passiva, ita tamen ut hæc potentia entitativum ejus actum minimè tollat.

§. 17. Materia prima omnes appetit formas.

§. 18. Materia prima, ut in se spectata, sit ἀμορφῶς, actuque nullam includat formam, ad omnes formas recipiendas tamen habilis est & idonea.

§. 19. Q. An Deus conservare possit materiam primam absq; omni forma substantiali?

§. 20. Materia prima secundum se immediatè formam substantialem recipit, & non mediante aliquâ potentiâ realiter distin-

Et ab ipsa, quæ immediatius eam recipiat, aut quæ sit ratio formalis, quæ possit eam recipere. Contra Thomistas, materiam non posse recipere formam nisi mediante potentiâ realiter distincta, existimantes.

§. 21. Potentia formalis, quam dicit materia ad formam, de ejus essentia non est, sed aliqua illius proprietas quarti modi.

§. 22. Materia prima sublunarium omnium est ejusdem speciei, sed diversa numero, pro diversitate corporum, in quibus simul inexistit, ita ut materia ligni sit diversa numero, à materiâ ignis simul existentis cum eodem ligno.

§. 23. Materia corporum cœlestium non distinguitur specie à sublunari.

§. 24. Materia prima, & secunda sunt ex parte rei substantia una, differunt autem quoad dispositiones, à quibus materia prima præscindit, secunda non item.

§. 25. Materia prima & chaos Mosaicum, quod nonnullis dicitur, pro iisdem non possunt vendi.

§. 26. Materia prima creata est, & non generata.

§. 27. Quod gaudet materiâ, corruptibile est.

§. 28. Per materiam una res ab alterâ non differt.

§. 29. Ex quovis non fit quodvis: Nam ex quolibet ligno non fit Mercurius.

§. 30. Alterum constitutionis principium est Forma, & definitur rectissimè ita: Ἔστιν ἀρχὴ καὶ ἦν ἢ χαρακτὴρ ἰσοῦσαι τὰ πρῶτα, καὶ λέγουσαι. Vel brevius dicitur, λόγος, ὁ τὸ ἦν εἶναι.

§. 31. Omnes formæ substantiales præter animam rationalem educuntur de potentiâ materiæ, & sic formæ cœlorum ac elementorum sunt productæ.

§. 32. Plures formæ possunt esse in uno subjecto.

§. 33. Forma propriam suam habet existentiam, non minus quàm Materia.

§. 34. Forma est activa, ita tamen ut etiam sit quoque passiva, hoc est receptiva suarum propriarum passionum ac relationum, similitudinis & dissimilitudinis &c.

§. 35. Forma per se extensa & divisibilis non est.

§. 36. Forma dat esse rebus naturalibus.

§. 37.

§. 37. Positâ formâ formatum ponatur, necessum est.

§. 38. Quicquid existit in suâ naturâ, per suam existit formam.

§. 39. Forma nobilior est materiâ.

§. 40. Privationem Physicam cum Logicâ qui confundit, Philosophiam nescit. Logica quippe est absentia alicujus rei, quæ vel adfuit, vel adesse debuit. Physica verò, est absentia alicujus formæ, quæ quidem nec abfuit, nec adesse debuit pro NUNC aut TUNC, est tamen formæ adhuc introducendæ.

§. 41. Privatio requirit subjectum capax. (nis.)

§. 42. Privatio est principium generationis & corruptio-

§. 43. Privatio non est de essentia materiæ.

§. 44. Materia & privatio unum sunt numero, specie verò seu definitione diversa.

§. 45. Ad generationem requiritur, ut privatio sit prius naturâ in materia, quàm forma, non tamen positivè, sed negativè.

§. 46. Privatio ortui & interitui videtur obnoxia.

§. 47. Natura *ἔστι ἀρχὴ καὶ αἰτία τῶν κινεῖσθαι, καὶ ἡρεμῆν, ὡς ἂν ἀρχὴ πρῶτως, καὶ αὐτὸ, καὶ μὴ κτ' συμβεβηκός.* Hæc definitio rectè intellecta, & ut jacet, nullis adversariorum telis transverberari potest.

§. 48. Definitione naturæ tum principium activum, tum principium passivum comprehenditur.

§. 49. Nec privatio, nec Accidens ullum, nec quidditas Angeli est natura, prout est definita hîc.

§. 50. Materia & forma conveniunt univocè in ratione naturæ tam benè, quàm ratione partis aut substantiæ incompletæ.

§. 51. Natura semper quod bonum est, intendit.

§. 52. Ars non potest efficere opera naturæ, nisi quatenus potest ostendere, quomodo activa naturalia possint applicari passivis naturalibus.

§. 53. Natura naturans & natura naturata inter se non iustantur.

§. 54. Natura propter finem agit, suo modo.

§. 55. Causa externa est, quæ in suo genere causæ non ingreditur essentiam effectus.

§. 56. Causæ in actu signatò ad Metaphys. spectant, in actu exercitò tamen quoque Physici sunt. (& Efficiens.

§. 57. Causa est quadruplex, Materialis, Formalis, Finalis

§. 58. Divisio hæc est in membra ita realiter distincta, ut reverâ dentur de facto quatuor causæ unius effectus Physici, realiter distinctæ, quarum una sit Materialis &c. Non verò in membra ita realiter est distincta, quin eadem res realiter posset habere rationem finalis, materialis &c.

§. 59. Quatuor illæ recensitæ causæ in ordine ad omnem effectum non requiruntur; Requiruntur tamen in ordine ad omnem effectum compositum.

§. 60. Non datur aliquid positivum realiter distinctum à materiâ, & unione, quâ unitur formæ, per quod causet actu formam aut compositum, sive in fieri, sive in facto esse.

§. 61. Causalitas, quâ mediante forma communicat se materiæ, & producit partialiter compositum, non est aliud distinctum ab unione: Id & de causalitate, quæ expellit aliam formam, dicendum.

§. 62. Deus nequit, se solò absq; concursu materiæ & forma producere totum compositum, atque adeò non potest supplere causalitatem materiæ aut formæ circa ipsum.

§. 63. An possit supplere causalitatem illam materiæ, quæ dat formæ esse, se solo dando ipsi esse, & producendo ipsam absq; ullâ materiâ?

§. 64. An possit etiam supplere defectum causalitatis expulsivæ, quam ex eodem subjecto expellit, quantum ad hoc, quod ipsemet solus posset tollere illam formam à subjecto illo, absq; interventu formæ alterius?

§. 65. Causalitas causæ efficientis in actu primo est virtus illa, à quâ habet posse aliquid producere, causalitas verò in actu secundo, à quâ formaliter determinatur causare actu effectum, est actio ipsius.

§. 66. Sola Accidentia immediatè productionem substantiæ non attingunt; Nam si sola accidentia immediatè producerent substantiam, essent causæ principales productivæ ipsius.

§. 67. Accidentia non producunt partialiter substantiam.

§. 68.

§. 68. Substantia immediatè producere potis est accidentia in semetipsâ, actione propriè dictâ.

§. 69. Substantia producere potest accidens in alio subiecto, per virtutem suam substantialem, immediatè.

§. 70. Accidentia illa, quæ producuntur effectivè in substantiâ à semetipsâ, verè etiam conservantur à substantiâ eâdem.

§. 71. Accidentia destructiva substantiæ non conservantur ab illâ, v. g. calor ab aquâ.

§. 72. Accidentia substantiæ, quæ neq; sunt conservativa ipsius, nec destructiva, neque etiam ab illâ sola producibilia, non conservantur ab illa sola, v. g. species impressa phantastica, habitus intellectus, & voluntatis.

§. 73. Deus concurrit in hâc naturâ ad effectus omnes immediatè, etiam immeditione suppositi.

§. 74. Non potest de potentiâ Dei absolutâ produci aliquis effectus exigens concursum immediatum causæ secundæ, absq; immediato Dei concursu.

§. 75. Nec secundum Philosophum, nec rationem naturalem ullam, causa secunda debet præmoveri ad agendum per aliquam qualitatem physicam præviam ad actionem, & transeuntem transactâ actione.

§. 76. Absolutè & simpliciter causæ non debent præmoveri à Deo per qualitatem ullam physicam distinctam à suis qualitibus connaturalibus ad effectus naturalis ordinis.

§. 77. Concursus Dei non est actio creaturarum, sed alia, concomitans activa.

§. 78. Concursus divinus physicè ad effectum qui produci-
tur, est determinatus.

§. 79. Omnis causa debet esse prius natura existens secundum illud esse, secundum quod causat, quàm suus effectus.

§. 80. Causa materialis & formalis semper imperfectiores sunt composito, quod habent pro effectu; Et causa finalis potest esse vel perfectior, vel imperfectior effectui, ad quem applicandum movet voluntatem.

§. 81. Causa efficiens partialis potest esse imperfectior effectui, totalis verò non potest, sed necessariò debet esse vel perfectior, vel æquè perfecta.

§. 82.

- §. 82. Idem effectus non potest dependere à pluribus causis adæquatis simul & semel, nec naturaliter, nec supernaturaliter.
- §. 83. Causæ efficientes nequeunt sibi invicem esse pro eodem instanti, ita, ut altera ab alterâ dependeat in genere causæ efficientis.
- §. 84. Finis in naturalibus est causa. (efficientis.)
- §. 85. Fortuna est causa per accidens in iis, quæ fiunt rarò, & cum electione finis, alicujus gratiâ.
- §. 86. In Deum non cadit fortuna.
- §. 87. Fortuna & casus in multis conveniunt, in uno verò differunt.
- §. 88. Fortuna homini est immanifesta. (differunt.)
- §. 89. Fortuna est aliquid præter rationem.
- §. 90. Fortuna & casus sunt in rebus.
- §. 91. Monstrum est effectus casualis naturalis, à rectâ & solitâ, secundum speciem, dispositione degenerans.
- §. 92. Monstrum est potius defectus, quia à deficiente est natura, quàm effectus.
- §. 93. Vitium seu ἀμαρτία triplex est, Naturæ, Artis, & Morum.
- §. 94. Monstra propriè loquendo, in naturalibus tantùm reperiuntur, & effectus artificiales à regulis artis consuetis deficientes, non nisi analogicè, dicuntur Monstra.
- §. 95. Multis de causis accidit, ut in animalibus generentur monstra: Prima earum est abundantia aut defectus materiæ; Secunda primarum qualitatum indispositio; Tertia indispositio secundinæ; Quarta debilitas virtutis productricis; Quinta influxus Astrorum, & temperamentum Regionum; Sexta vivida aliqua imaginatio.
- §. 96. Monstrum natura non intendit primariò, sed (ut aliqui loquuntur) tantùm secundariò, quia est imperfectum.
- §. 97. Dei providentiam monstra non minuunt.
- §. 98. Non indifferenter omnia monstra, ut sibi falsò quidã imaginantur ex lege aliquâ XII. Tabul., in mare sunt projicienda.
- §. 99. Monstris Hermophroditos, Cyclopes, Sciopodes, & illos, qui tam insigniter auriti sunt, ut aures ad pedes defluant, feruntur, etiam illos qui procera & cornea habere rostra perhibentur, accensebimus, Nereidas verò, Gigantes, Pygmæos, Spectra ac Lumbricos non item.
- §. 100,

§. 100. *Λυκάνθρωπία*, ubi homines hominumq, corpora in veros lupos & bestias transmutari dicuntur, non concedimus.

§. 101. Motus Aristoteli est actus entis in potentiâ, prout est in potentiâ.

§. 102. Motus dicitur Scholasticis triplex, Intentionalis, Emanativus, Physicus & Realis, qui iterum triplex est, Rectus, Circularis & Mixtus.

§. 103. Subjectum motus, quo mobile movetur ad formam aliquam intrinsecam, est ipsum mobile.

§. 104. Motus realiter distinguitur ab agente, & mobili, & termino, quem per motum acquirit mobile.

§. 105. Motus nihil dicit positivi, quod sit realiter distinctum ab unione mobilis ad formam vel locum, ad quem dicitur moveri.

§. 106. Potest aliquid se ipsum movere, tanquam causa effectiva, totalis secunda, non solum motu emanativo & intentionali, sed etiam physico.

§. 107. Distinctio motus specifica à distinctione termini specificâ desumitur, ita, ut eo ipso, quo termini distinguuntur specie, etiam motus debeant specie distingui.

§. 108. Ex diversitate subjecti specificâ, etiam diversitas specifica motus intelligi potest.

§. 109. Specificatio motus à termino positivo à quo non desumitur.

§. 110. Unitas motus numerica necessariò requirit unitatem subjecti ac termini ad quem; Non verò temporis, nec termini à quo positivi, nec agentis, nisi quo agens coincidit cum subjecto.

§. 111. Datur motus ad substantiam, quantitatem, qualitatem ac ubi.

§. 112. Non datur motus propriè dictus ad relationem tertii prædicamenti, neq; ad ubi intrinsecum aut extrinsecum: Neq; ad entia realia prædicamentorum, bene tamen potest dari motus ad locum extrinsecum, h. e. ad superficiem continentem rem, quæ localiter movetur.

§. 113. Datur infinitum potentiâ, additione & detractio-
ne; actu verò id dari, implicat.

B

§. 114.

§. 114. Infinita corpora in loco poni possunt: Ratio est, quia si non repugnat, dari infinitos homines, nec repugnabit, dari infinitum spatium.

§. 115. Locus est superficies corporis continentis immobilis primò.

§. 116. Spatium imaginarium, nec spatium reale, nec ubi, nec aliquid intrinsecum locato, locus est propriè dictus.

§. 117. Plures res & substantiæ materiales de facto naturaliter sunt in eodem loco, ut in aprico est de materia primâ, formâ substantiali, quantitate & accidentibus omnibus competentibus composito ex materia primâ & forma, ità tamen, ut unum per se in loco sit, cetera per accidens.

§. 118. Plures substantiæ, naturaliter ab eodem loco se expellentes, possunt divinitùs s. supernaturaliter esse in eodem loco.

§. 119. Substantiæ corporeæ, quæ naturaliter se invicem à loco expellunt, non possunt naturaliter esse in eodem loco; Et hujusmodi substantiæ sunt omnes sublunares ad minus.

§. 120. Unum corpus in pluribus locis non simul, nec circumscriptivè, nec definitivè esse posse, cum experienciâ communi-que consensu asserimus.

§. 121. Locus continet locatum, & undique ambit, nec tamen est pars, seu de essentia locati.

§. 122. Locus proprius nec major, nec minor est locatò.

§. 123. Etsi locus ab hoc vel illo locato separabilis est, omni loco tamen planè non caret.

§. 124. Locus est immobilis.

§. 125. Locus non est intervallum seu spatium, quicquid dicat Goclenius, & tota Ramæorum cohors.

§. 126. Vacuum vulgò dicitur locus corpore non repletus, aptus tamen repleri.

§. 127. Vacuum non datur, nec existentiam ejus probat fistula Valeriana.

§. 128. Vacuum non est affectio corporis naturalis.

§. 129. Non potest dari motus gravium & levium in vacuo terminato, & motus progressivus totius corporis existentis super superficiem terræ ab unâ parte ad aliam partem.

§. 130.

§. 130. Si poneretur corpus grave, v. g. homo, extra cœlum in vacuo interminato, non posset habere motum progressivum, posset tamen movere manus & pedes motu naturali, imò moveretur naturaliter ad cœlum ob gravitatem suam, sed corpus leve non posset se movere ob levitatem. (sterius.

§. 131. Tempus est numerus motus secundum prius & po-

§. 132. Tempus vulgò præsens quod audit, num tempus sit, dubitamus meritò.

§. 133. Tempus ab ævo & æternitate plurimum differt.

§. 134. Tempus est verum ens reale.

§. 135. Tempus nec generat, nec corrumpit.

§. 136. Tempus est idem, & quodammodo diversum.

§. 137. Sine tempore motus successivus non fit.

§. 138. Tempus in se nec velox, nec tardum, sed longum aut breve.

§. 139. Duratio non est actualis coëxistentia rei ad tempus. Nam, si duratio coexisteret in coëxistentiâ relativa actuali ad tempus, esset quid successivum, quod absolum.

§. 140. A re durante, & actione, quâ producitur ac conservatur duratio creata, realiter non distinguitur.

§. 141. Duratio, præcisivè sumpta, in æternitatem, ævum, & tempus dividitur.

§. 142. Tempus intrinsecum non distinguitur realiter à re successivâ, ut successiva est, cujusmodi tempus dicitur esse duratio intrinseca, v. g. tempus intrinsecum, seu duratio intrinseca motus, quo navis aliqua movetur ex Bataviâ in Angliam, seu sol ab oriente ad occidentem, non distinguitur realiter ab ipso motu.

§. 143. Tempus extrinsecum est necessariò quid successivum.

§. 144. Tempus extrinsecum est quid reale, & nullò modò necessariò indigens entis rationis.

§. 145. Mundus est compages è cœlo & terrâ coagmentata, atq; ex iis naturis, quæ in his continentur.

§. 146. Quo anni tempore mundus sit conditus, quæritur? Nobis illum Veris tempore creatum fuisse rationes sat prægnantes persuadent.

§. 147. Mundus in suo genere est perfectus. An autem repugnat, eundem fieri potuisse perfectiorem? §. 148.

§. 148. An potuerit fieri mundus alius melior ac perfectior quoad substantiam & accidentia, quam praesens?

§. 149. De facto unus tantum est mundus, & non plures, ut Epicurus, aliiq; quibus etiam sui Dii fuere, sentiunt, plures tamen sunt possibiles.

§. 150. Rotundus dicitur mundus, & non quadratus ac triangularis, quia Caelum & Terra putantur corpora rotunda.

§. 151. Mundus nec quoad se totum, nec quoad ullam partem sui, fuit factus, creatus aut productus ab aeterno, ut non implicet eum ab aeterno potuisse existere.

§. 152. Generationes humanae tam possunt esse ab aeterno, quam aliae generationes.

§. 153. Naturaliter mundus perire non potest, nec quoad caelestia corpora, nec quoad sublunaria, nec etiam potest naturaliter loquendo immutari partium principalium, v. g. Elementorum ordo ille, quem de facto habent, atque adeo ex natura sua est in aeternum duraturus in hoc sensu, & exigit connaturaliter influxum conservativum Dei, & non nisi miraculose interire potest.

§. 154. Mundus κατὰ φύσιν, non verò κατὰ ποιότητα est periturus.

§. 155. Caelum est corpus naturale simplex, supremum & primum, amplissimum, subtilissimum, pellucidum, permeabile, omnia corpora inferiora ambiens, & stellas, quae in ipso moventur, in se continens.

§. 156. Ratio si spectetur, certum est, Caelum esse simplex.

§. 157. Caelum non esse ullam ex Elementis, aut mixtum ex illis, sed quintam substantiam diversae ab utrisque naturae asserimus.

§. 158. Caelum animatum non est ullam animam, sive vegetativam, sive sensitivam, sive rationalem.

§. 159. Quamvis Caelum interituum sit in die Pantocritico, uti sacrae literae docent, non tamen sequitur inde, quod caelum sit ex natura sua corruptibile sic, ut supposita dispositione rerum, quae est de facto, non possit naturaliter contingere, ut secundum se totum corrumpatur.

§. 160. Caelum physicè non est corruptibile, licet per potentiam Dei absolutam destrui possit.

§. 161. Motus circularis caelo est naturalis.

§. 162.

§. 162. Cœlum an sit solidum, an fluidum, an partim solidum partim fluidum, disputatur. Nobis probabilius videtur, esse permea ile.

§. 163. Quamvis Cœli specie distinguerentur, incertum tamen esset, an superiores perfectiores sint inferioribus.

§. 164. Cœli voce venit & aëreum & æthereum.

§. 165. Cœlum multiplicibus constare orbibus, ex quibus alii *ἐνασσοί*, alii *ἀνασσοί* sunt, antiquissima est traditio.

§. 166. Positò, dari orbis cœlestes reales & distinctos, eorum concentus nullus est, quemadmodum nonnulli somniant.

§. 167. Circuli an *κῆ ἑσών*, an *κῆ φούων* cœlo insint?

§. 168. Stella est corpus simplex, cœleste, globosum, lucidum, & vi sibi divinitus inditâ in orbem mobile.

§. 169. Stellæ sunt vel fixæ vel erraticæ: Hæ sphericæ sunt, non planæ, licet ob nimiam distantiam appareant, neq; unquam ullæ è cœlo cadunt.

§. 170. Stellæ innumerabiles non sunt.

§. 171. Astra omnia, tam fixa, quam erraticæ à suis orbibus distinguuntur specie.

§. 172. Omnes stellæ errantes distinctæ sunt speciei à se, invicem, etiam à stellis fixis.

§. 173. Planetæ 6. & reliquæ stellæ omnes lucent mutuatitiâ luce, & lucem quam habent, à sole mutuuntur, itâ tamen, ut aliquid lucis ex se possideant.

§. 174. Stellæ in cœlo reverâ à se ipsis moventur, h. e. per naturam sibi inditam, non verò à Deo immediatè, vel ab Intelligentiis, vel per Orbes.

§. 175. Cœlum agit in hæc inferiora motu, lumine & influentiis, quicquid contra influentias disputet Sperlingius.

§. 176. Agunt autem Cœli in hæc inferiora per motum, tanquam per virtutem activam.

§. 177. Cessante cœli motu, omnes alii motus in his inferioribus alterativi & generativi cessarent, ex hypothesi quidem eorum, qui solem ad generationes concurrere ajunt.

§. 178. Corpora cœlestia varios in sublunaria habent influxus, nullum tamen in spiritus aut animas racionales directè, ut actiones spirituum necessitent.

§. 179. Corpora cœlestia concurrunt ad productionem viventium omnium, etiam hominum, disponendo materiam tali vel tali modo, in ordine ad receptionem animarum, non tamen attingunt immediatè productionem ullius animæ, etiam animalium imperfectiorum.

§. 180. Stellarum lumen substantia non est.

§. 181. Lux non est corpus vel substantialis forma astrorum.

§. 182. Stellæ primæ & secundæ magnitudinis, quæ sunt in firmamento, maximè scintillare arbitramur.

§. 183. Lux est causa luminis.

(rectè.)

§. 184. In voluntatem hominis stellæ agere non possunt.

§. 185. Stellæ calefaciunt & frigefaciunt naturas, non quod calidæ & frigidæ sint adfectivè, sed effectivè, ut loquitur acutissimus Scaliger, Exerc. 74. sect. 1.

§. 186. Stellæ orbibus realibus in Cœlo affixæ vel inclusæ non sunt.

§. 187. Tempore matutino stellæ non sunt majores, quàm tempore meridianò, licet interdum videatur diversitas.

§. 188. Maculæ in lunâ non dantur, sed propter partium difformitatem, radios Solis inæqualiter reflectentium, apparent.

§. 189. Sol in festo Paschatos, ut vulgus vult, non tripudiat.

§. 190. Scintillatio est tremor rei visæ propter aspectus nostri imbecillitatem.

§. 191. Elementum est corpus naturale simplex, in quo principium motus simplicis, recti primò & per se inest.

§. 192. Quatuor tantum, nec plura, nec pauciora, dantur Elementa, etiamsi de horum numero quaternario adstruendo non pauci dubitaverint, & etiamnum dubitent.

§. 193. Quodlibet Elementum potest generari ex quolibet, magis tamen symbolicum ex symbolico.

§. 194. Elementa in suis locis neq; gravitant, neq; levitant.

§. 195. Quatuor illa Elementa non sunt ita simplicia, quin componantur non solum ex partibus metaphysicis, sed etiam ex partibus physicis, materiâ scil. & formâ substantiali.

§. 196. Formaliter elementa non manent in mixto,

§. 197. Elementa virtualiter continentur in mixtis, & hoc

non

non solum quatenus qualitates primæ eorum continentur in mixtis, in gradu tamen remissiori, quam in elementis; Sed etiam quatenus forma substantialis mixti habet quandam affinitatem cum formis elementorum in eo, quod exigit connaturaliter qualitates primas, quas exigunt connaturaliter formæ elementorum.

§. 198. Qualitates primæ sunt, quæ neq; ex se invicem, neq; ex aliis fiunt; Ceteræ verò qualitates sensibiles sublunares fiunt ex illis.

§. 199. Quatuor tantum dantur hujusmodi qualitates, nimirum Calor, Frigus, Humiditas, Siccitas.

§. 200. Qualitates illæ primæ reales sunt & positivæ.

§. 201. Aliæ virtuales qualitates ejusdem nominis ex ipsis etiam Elementis præter prædictas primas qualitates non dantur.

§. 202. Probabile est, præter duas qualitates nullam aliam ex quatuor primis convenire ulli ex elementis, ex naturâ suâ intrinsecâ.

§. 203. Omnes qualitates primæ symbolicæ v. g. omnes calores, omnes frigiditates &c. sunt ejusdem speciei in quocunque subiecto; Et præsertim hoc verum est de qualitatibus, per se competentibus elementis & mixtis.

§. 204. Non omne elementum potest in se aliud elementum immediatè convertere sive symbolum, sive dissymbolum.

§. 205. Unum elementum producere non potest aliud elementum distinctæ rationis.

§. 206. Duo elementa producere nequeunt tertium Elementum distinctæ rationis, v. g. ignis & terra aquam, aut aqua & aër ignem.

§. 207. Elementa pura (cum aqua aliquid admixtum de terrâ, & terra de aquâ, & de utraq; aër, habeant) non dantur.

§. 208. Elementa certò ex fundamine, figuram habere rotundam, probabile nobis videtur.

§. 209. Moventur elementa tam à propria formâ, quam à qualitatibus motricibus, gravitate ac levitate.

§. 210. Elementum quò levius, eò altiorem occupat locum, & contra, quò gravius, hoc inferiorem.

§. 211. Gravitationem & levitatem accidentia esse, inde perspiciamus,

gnus, quia intenduntur & remittuntur, quod substantiis non con-
venit.

§. 212. Elementa cum sint corpora, suas habent formas sub-
stantiales, nobis licet incognitas.

§. 213. Ex se suaq; natura elementa certam non habent for-
mam, quatenus verò sunt partes hujus universi, figurâ gaudent ro-
tundâ. (runtur & corrumpuntur.

§. 214. Non sunt elementa æterna; sed ex se invicem gene-

§. 215. Elementa moventur motu simplici recto.

§. 216. Indivisibilia sunt elementa, & non sunt. (dia.

§. 217. Magis pura sunt elementa extrema, quam interme-

§. 218. Duo elementa, Ignis scil. & Aër, levia, & duo, Ter-
ra & Aqua gravia sunt.

§. 219. Ignis est calidissimus & siccus. Aër humidissimus
& calidus. Aqua frigidissima & humida. Terra siccissima & frigida.

§. 220. Elementum ignis sub concavo Lunæ datur.

§. 221. Aqua rotunda est.

§. 222. Aquæ supracœlestes non dantur.

§. 223. Immobilis & rotunda terra à nobis creditur.

§. 224. Rotunditatem terræ montes, quamvis altissimi, non
tollunt. (tamen punctum est.

§. 225. Terra cœlo comparata ad instar puncti se habet, nec

§. 226. Aqua aquâ est gravior, sicuti salsa dulci.

§. 227. Sola elementa propriè miscentur.

§. 228. Generatio substantialis est mutatio, quâ aliquid mu-
tatur ad formam substantialem, cum quâ facit unum per se corpus
substantiale.

§. 229. Respectus positivus, quo subjectum recipit formam,
sive eductam, sive non eductam, & actio positiva, per quam pro-
ducens producit formam in subjecto, sive educendo ipsam, sive
non educendo, est ejusdem rationis, sive prius tempore fuerit pri-
vatio formæ in subjecto, sive non fuerit.

§. 230. Productio Compositi ex materia non præexistente
tempore ante formam, sive eductam, sive non eductam est gene-
ratio, & est mutatio.

§. 231. Ex suppositione, quòd detur tertia entitas distin-
cta

Acta à partibus simul sumptis & unitis, & quod generatio sit aliquid unum, non debet collocari in toto composito, tanquam in subiecto inhaesionis, sed potius in materiâ primâ.

§. 232. Actio generativa realiter distinguitur à dispositivâ seu alterativâ.

§. 233. Generatio viventium univoca est origo seu productio viventis à vivente, mediante principio vitæ conjuncto in similitudinem naturæ.

§. 234. Corruptio substantialis est mutatio, quâ subiectum mutatur à formâ substantiali ad privationem seu negationem illius formæ.

§. 235. Reverâ datur corruptio substantialis.

§. 236. Non est verò mutatio naturalis, h. e. secundum inclinationem compositi.

§. 237. Corruptio intenditur secundariò, tam à causa universalis, quàm à particulari.

§. 238. Quando generatur unum ex altero corrupto, non interveniunt (certè non semper) duæ actiones positivæ, una per quam corrumpatur substantia corrupta, & altera per quam producatür substantia genita.

§. 239. Duæ mutationes realiter separabiles, dum generatur unum, & corrumpitur alterum, interveniunt.

§. 240. De factò omnis generatio, quæ de novò fit, habet secum concomitantem corruptionem, & contrâ. Constat hoc ex generatione non viventium. Nunquam enim talis fit de novo (naturaliter) nisi in materiâ, quæ ante habuit formam substantialem incompatibilem cum formâ introducendâ. E. de factò tollitur illa forma, quando fit generatio. Et consequenter nunquam fit generatio de novo, quæ non habeat concomitantem corruptionem.

§. 241. Generatio unius & corruptio alterius sunt simul tempore; Ast generatio prior est naturâ.

§. 242. Generatio unius est corruptio alterius non in sensu formali, neq; solùm in sensu concomitanti, sed etiam in sensu causali, quatenus formalis ratio, ob quam debet esse corruptio, est incompossibilitas formalis, quam habet generatio seu forma per eam producta cum formâ corrupti.

C

cor-

corruptio specie distinguuntur & realiter, & sunt separabiles. Ergo una non est altera formaliter loquendo. Ulterius licet habeant concomitantiam, tamen non magis habet generatio concomitanti corruptionem, quam e contra. Generatio verò dicitur esse corruptio in aliquò sensu, in quò corruptio non dicitur esse generatio. E. alio modo dicitur corruptio quam in sensu concomitanti.

§. 243. Generatio motus est nobilissimus, quia generare est naturalissimum, teste Aristotele.

§. 244. Alteratio est mutatio in quâ eòdem subjectò manente, alia qualitas acquiritur, alia abjicitur.

§. 245. Mutationes, quibus mutantur polypus, chamæleon, & similia animalia, ad colores corporum, quibus insident, non sunt alterationes sub hâc allatâ definitione comprehensæ: tum quia mutantur in instanti, tum quia longè verisimilius est, quòd non mutantur, sed quòd appareant mutari, quoniam colores suppositi apparent per eorum corpora, sicut per vitrum apparet color suppositi corporis.

§. 246. Alteratio omnis non fit in instanti.

§. 247. Qualitas non intenditur per communicationem existentia perfectioris, destructâ imperfectiore existentia, quia existentia non distinguitur realiter à re existente. E. nequit de novo communicari alia existentia, quam ante non habuit.

§. 248. Intensio qualitatis non fit per majorè eductionem ex subjecto; neq; per majorem aut perfectiorem unionem; nec quoque fit per additionem novi modi, quæ præbeat formæ majorem explicationem in subjecto, tollendo confusionem & potentialitatem ejus, & illam reducendo ad majorem unitatem; neq; deniq; fit per communicationem majoris actualitatis, ut volunt Complutenses: Sed fit per additionem novæ partis ejusdem qualitatis in eadem subjecti parte, sicut extensio ejus fit per additionem novæ partis ejus in aliis partibus subjecti.

§. 249. Gradus intensiois, seu per intensioem acquisiti, sunt homogenei, seu ejusdem rationis cum prioribus, absq; ullâ distinctione, præter numericam. (intrinsic o.)

§. 250. Omnes qualitates specificantur ab objecto tanquam

§. 251. Omnis qualitas materialis, non intentionalis, est ca-

pax

pax intensiōnis ac remissionis propriè dictæ. Calor enim & albedo e.g. habent intensiōnem ex pluralitate graduum. Sed eadem ratio est de ipsis, ac de quibuscunq; aliis non intentionalibus. E.

§. 252. Habitus omnes acquisiti per actus intenduntur, per additionem gradus ad gradum. (per gradus.

§. 253. Actus vitales, & species impressæ non intenduntur

§. 254. De factō quælibet qualitas habet determinatum terminum intensiōnis, quoad magnitudinem, naturaliter loquendo.

§. 255. Qualitates, quæ excludunt se invicem ab eodem subiecto, sunt propriè contrariæ.

§. 256. Hæ qualitates oppositionem ex naturâ suâ, & non ex incapacitate aut limitatione subiecti, habent.

§. 257. Nonnullæ qualitates contrariæ in gradibus remissis possunt esse simul naturaliter, non in summis. Ast an ita de potentia Dei absolutâ possint simul inesse subiecto? alia est quæstio.

§. 258. Simile agere nequit in simile.

§. 259. Reflexio non fit per species intentionales qualitatis, quæ reflectitur.

§. 260. In reflexione tam lucis, quàm caloris, intenditur, qualitas ab obstaculo, usque ad determinatam spheram, & non solum extenditur.

§. 261. Causa directè producens qualitatem intendit ipsam actione reflexâ à se ipsâ immediatè exeunte.

§. 262. Agens habere debet maiorem activitatem quàm sit resistantia formalis passi.

§. 263. Idem non potest agere in se ipsum, actione univocâ, nec perfectivâ, i. e. actione, quâ produceret in se qualitatem sibi convenientem; neq; corruptivâ, i. e. actione, quâ produceret in se qualitatem disconvenientem; neq; directâ; neq; reflexâ.

§. 264. Intensio qualitatis in antiperistasi non fit per species intentionales tangibiles qualitatis, quasi hæ ex repercussione ad corpora qualitatibus contrariis affecta redirent ad corpora, unde primò emanârunt, & in iis qualitates, quarû sunt species, auferent.

§. 265. Qualitas naturalis in antiperistasi augetur per accidens quidem ob transpirationem exhalationum qualitatibus contrariis affectarum; per se verò tum ex naturali emanatione propriæ

priæ qualitatis, tùm ex actione exhalationum propriarum, quã ob antiperistasi non transpirant. V. g. propterea aqua putealis in æstate frigidior est, quàm in hyeme, quia exhalationes calidæ, quæ in ipsâ remanebant tempore hyemali, transpirant per poros aquæ ad vicina corpora, & quoniam aqua remotis impedimentis illis reducit se ad naturale frigus, adjuvantibus exhalationibus frigidis, quæ propter circumobstantiam corporum calidorum non transpirant.

§. 266. Exhalationes innaturales (quæ nonnullis dicuntur) prævalent exhalationibus propriis in antiperistasi.

§. 267. Non fit ordinariè actio per antiperistasi, nisi in loco remoto ab agente contrario ambiente.

§. 268. Reactio secundùm eandem partem & contrarietatem datur.

§. 269. Nutritio est aggeneratio unius partis substantialis ad aliam, facta per virtutem viventis transmutantis materiam alimenti in suam substantiam; seu mutatio substantialis facta virtute vitali viventis, per quam materia alimenti mutatur ex privatione formæ substantialis nutriti viventis ad illam, & simul conjungitur integraliter cum nutrito.

§. 270. Nutritio essentialiter distinguitur à generatione.

§. 271. In numero viventium, quorum animæ sunt divisibiles, an simul cum novâ parte materiæ acquiratur nova pars animæ?

§. 272. Partes spermaticæ an maneant integræ & inconsumptæ in vivente, per totum ejus vitæ tempus? An etiam partes solidiores, ut ossa?

§. 273. Quamvis nutritum non haberet in fine vitæ ullam corporis partem acquisitâ in sui generatione, videtur tamen idem numero in fine vitæ esse, quod fuit in initio.

§. 274. Augmentatio est motus, quò res naturalis salvâ suâ essentiâ à minore quantitate in majorem, usq; ad terminum à naturâ præfinitum, assurgit.

§. 275. Si capiatur nutritio & augmentatio activè, pro actione, per quam vivens nutrit & argumentat se ipsum, non sunt duæ actiones realiter distinctæ.

§. 276. Non nutriuntur omnes partes minimæ & indeterminatæ viventis immediate.

§. 277.

§. 277. Assignari non potest ulla pars, quæ secundum se totam immediatè augeatur ac nutriatur.

§. 278. Nutritio & augmentatio sunt motus successivi.

§. 279. Qualis motus est nutritio, talis motus quoque augmentatio.

§. 280. Nutritio fit successivè & continuè, non verò in instantibus per morulas interruptis.

§. 281. Rarefactio non fit absq; acquisitione novæ quantitatis, aut novæ extensionis quantitativæ.

§. 282. In rarefactione & condensatione non perit tota quantitas præcedens.

§. 283. Acquiritur nova pars quantitatis in rarefactione, in condensatione verò deperditur aliqua pars quantitatis.

§. 284. Non acquiritur nova quantitas in rarefactione sine subjecto novo.

§. 285. Rarefactio corporis an fiat per receptionem corpusculorum insensibilium ex se intra poros rei rarefactæ, & dilationem insensibilem ipsorum pororum? Condensatio ex adverso per egressum corpusculorum à poris, & compressionem insensibilem istorum pororum?

§. 286. Mixtio est miscibilium alteratorum unio.

§. 287. Nulla datur mixtio, nisi miscibilia in exiguas particulas sint divisa.

§. 288. Ex atomis, uti plurimi adserunt, mixtio non fit.

§. 289. Ab aliis mutationibus mixtio differt.

§. 290. Temperamentum est corporis mixti qualitas, ex primarum qualitatuum actione & refractione orta.

§. 291. Provenit itaque temperamentum non, ut nonnulli affirmant, ex atomorum excellentibus qualitatibus præditarum congregatione.

§. 292. Temperamentum ratio non est.

§. 293. Animi mores temperamentum sequuntur.

§. 294. Non est temperamentum quinta qualitas à primis diversa, sed ipsæ quatuor primæ qualitates remissa.

§. 295. Nullum elementis competit temperamentum.

§. 296. Putredo est proprii & naturalis saloris in unoquoq; humido à calore ambientis corruptio.

- §. 297. Absq; calore nulla datur putredo.
- §. 298. Sine humore mistum non putrescit.
- §. 299. Corpus imperfectè mixtum dicitur illud, quod ex infirmâ & instabili elementorum concretionem oritur, atq; facillè in sua principia resolvi potest. (tio.
- §. 300. Talismodi corpus imperfectè mixtum est exhalatio.
- §. 301. Meteora, formaliter spectata, non sunt corpora, sed impressiones.
- §. 302. Meteora alia sunt κατ' ἰσότητα, suntq; vel ignita, vel aërea, vel aquea; quædam κατ' ἐμφασιν.
- §. 303. Quædam fiunt in supremâ aëris regione, quam calidam & siccam esse statuimus.
- §. 304. Quædam in mediâ, quæ frigida semper. Quædam in infimâ, quæ nunc calida & humida, nunc frigida & humida.
- §. 305. Cometæ à quibusdam Autoribus omnes ad meteora referri solent. Nos verò, salvâ eorum authoritate, rationibus non minus validis innixi, eorum castigantes sententiam, dicimus quod non.
- §. 306. Cometarum lumen, sicuti Lunæ & reliquorum Planetarum, est mutuatitium. Eorum verò motus, ut nonnulli Physicorum docent, initiò est velocissimus, in fine verò semper est remissus. Motus proprius circularis non est, sed rectilineus & in se æqualis, licet inæquabilis ob magnam distantiam appareat.
- §. 307. In æthereâ regione aliquos constitisse in aprico est.
- §. 308. Cometarum domicilium cælum, interdum etiam aër est. Nam cælo inferiores multos ex iis fuisse, quos Historici memorant, circumstantiæ docent.
- §. 309. Sidera mundo cœva cometæ non sunt.
- §. 310. Visui nostro cometæ non tantùm subducuntur, sed planè etiam intereunt.
- §. 311. Effectus, seu potius significationes, à variis variæ ipsis adscribuntur. Quidam ventos, caliditatem, siccatem, terræ motum, sterilitatem fructuum, inundationes aquarum; Quidam mortalitatem magnâ animalium, contentiones, rixas, bella, mortem Principum, Rerum publicarum interitum, transactionem Regnorum, variationes legum &c. significari asserunt. An verò singuli

guli cometæ hos memoratos effectus semper annexos habeant, præsertim Principum & Rerumpublicarum interitus, translationem item Regnorum, dubium est nobis, & non facile definitu. Bella, contentiones, rixas, &c. quomodo Cometæ, cum à libero hominum pendeant arbitrio, in quod nulla vis vel astris vel cometis, quicquid etiam Astrophi nonnulli asserant, tribui potest, vel significare, vel etiam efficere possint, ostendi vix potest. Quod autem ea, quæ annumerata fuerunt, ad apparitionem cometæ interdum evenire solent, id accidentarium nobis esse videtur, cum æquæ cometis nullis apparentibus eveniant, & evenire possint.

§. 312. Ventorum natura & origo utut tam remota sit ab humanâ cognitione, ut non immeritò à quibusdam dicatur, hoc unum esse ex iis, quæ in naturæ contemplatione maximâ ex parte latent: prætereà etiam Philosophorum in assignandâ causâ eorum effectivâ multa dentur sententiarum divortia; nos tamen, missis omnibus opinionibus, causam efficientem ventorum remotam facimus astra, quæ exhalationes & vapores è terris & aquis educunt; causam verò primam, à quâ ventus habet, quòd lateraliter movetur, nubes, aut frigus mediæ aëris regionis, non verò spiritus salinum, aut gravitatem.

§. 313. Venti non cadunt in terram ad perpendicularum, sed moventur obliquè.

§. 314. Murmura ventorum audimus, sed distinctam eorum cognitionem vix aliquis hominum sibi promittere potest.

§. 315. Iris est arcus tricolor, in nube roridâ, opacâ & concavâ, ex solis adversâ radiaturâ.

§. 316. In iridis generatione concurrunt radiatura simplex cum geminatâ, nempe mesoptrica & catoptrica, seu reflexa & refracta.

§. 317. Puniceus sive rutilus color (qui supremus est) fit ex inflexione rarissimâ, in parte nubis fumosa. Viridis, qui medius est, fit ex radiatione reflexa in remotiore & aquosiore nubis parte. Tertius purpureus ex radio incidente in nubem magis opacam, & ideirò debiliter admodum refractò.

§. 318. Quia tantum duorum luminarium, solis & lunæ, radii secundum mundi diametrum sensibiliter extenduntur, ideò ab his tantum irides producuntur, non item à reliquis stellis. §. 319.

- §. 319. Lunares irides candidiores sunt solaribus.
- §. 320. Iris nunquam semicirculo major videtur, sed minor
scæpies.
- §. 321. Semicirculum repræsentat Iris, si luminare horizon-
tem teneat: Minorem semicirculi figuram, luminari supra hori-
zontem progresso.
- §. 322. Ante diluvium an iris ulla apparuerit, in bivio con-
stitutum est. Non improbable tamen est, apparuisse.
- §. 323. Malè ab iis, qui Galaxiam seu circulum lacteum è
meteororum numero esse dicunt, fieri adserimus.
- §. 324. Calumnia quoque est, quod Aristoteles, Sapientum
Dux & Aquila, mare inter meteora retulisse dicitur.
- §. 325. Idem de mari in Meteorologiâ non malè egit. Ne-
que peccavit, cum de terræ motu in eâdem disseruit.
- §. 326. Ubi fumus non est, meteora ignita non dantur.
- §. 327. Ignita meteora serenâ nocte maximè apparent.
- §. 328. Sine fumo subtiliore, rariore & tenuiore facem dari
haud contingit. (neratur, scæpè seducit.
- §. 329. Ignis fatuus homines in paludes & flumina, ubi ge-
- §. 330. Fulmen urens minus noxium est & infestum.
- §. 331. Priùs fulgur conspicitur, quàm tonitru auditur.
- §. 332. Ventus est spiratio, seu halitus calidus & siccus.
- §. 333. Ventus sicut naturâ, ita quoque arte produci po-
test: ut exemplo æolopilarum docetur.
- §. 334. Terræ motus est partium terræ concussio, ab exha-
latione calidâ & siccâ, præter naturam intra terræ cavitatem con-
clusâ, & vi maximâ exitum quærente, cum tremore stupendo orta.
- §. 335. Causa terræ motus efficiens non sunt Angeli, neq;
fluctus aquarum in terræ cavernis undantium, sed spiritus subter-
ranei, seu exhalationes crassæ, calidæ & siccæ, quæ in terrâ oriuntur
partim ex operatione siderum, partim ab ignibus subterraneis.
- §. 336. Exhalationes reverâ sub terrâ dantur, quicquid e-
tiam nonnulli dicant.
- §. 337. Tempus terræ motus etsi indeterminatum statua-
tur, probabile tamen est, eos tempore verno & autumnali, ubi est
major exhalationum copia, frequentiores esse & fieri.
- §. 338.

§. 338. Imminente terræ motu aër tranquillior esse solet.
§. 339. Terræ motum sæpenumerò pestis, multique alii sequuntur morbi.

§. 340. Nubes est vapor in mediam aëris regionem elevatus, ibidemq; frigiditate condensatus.

§. 341. Nubium figura est rotunda. Nec obstat, quòd planæ, non orbiculares, videantur.

§. 342. Tempus, quò nubes frequentiores sunt, est ver, quò tempore aëris frigus, & vaporum copia, sine quibus nubes generari nequeunt, concurrunt. (dia aëris regio.)

§. 343. Locus, in quo nubes sunt suspensæ, plerumq; est medius.

§. 344. De altitudine nubium & à terrâ distantia diversæ circumferuntur Eruditorum sententiæ. Putant nonnulli, ultra tria milliaria nubes non distare à terrâ. Alii nubes ultra dimidium milliare non elevari asserunt. Alii nubes ultra novem milliaria à terrâ distare scribunt. Nos verò nubium altitudinem, non eandem, sed variam pro varietate materiæ, locorum & temporum esse affirmamus, ita ut eòdem tempore, eademq; in regione nubem aliâ altiore[m] esse, atq; unam supra alteram ferri, visu percipiamus.

§. 345. Colores nubium varii sunt pro materiæ, astrorum, Solis præcipuè radios recipientis dispositione, juxta versus in vulgus notos:

Alba parùm densa est, raròq; immista vapore,
Quàm Sol irrumpit radiis, & ad intima tranat.
Nigra gravem traxit densâ caligine fumum,
Non illam ut penetrent Nemæi lumina Phœbi.
Puniceam multus subiit calor: Occupat humor
Cœruleam, gravidamq; imbrî, longéq; madentem.

§. 346. Nubes aliæ steriles, aliæ fœcundæ. Steriles sunt albæ & pellucidæ, & potius à ventorum agitatione in aërem, quàm in pluviam abeunt. Fœcundæ, quæ cùm humidiores sint, ad pluviam gignendam sunt idoneæ. (quam mutata.)

§. 347. Pluvia est nubes refrigerata, condensata ac in aquam mutata.

§. 348. Gignitur pluvia, cum vapores, qui nubi præbent materiam, adhuc magis condensantur, atq; in aquam mutantur. Quæ cùm sit gravior aëre, sponte suâ guttatim decidit.

D

§. 349.

§. 349. Pluvia fit eodem ferè modò, quò vapores calidis parietibus in balneis, aut hyeme in calefactis hypocauftis orbibus vitreis, aut ferrò cantharove stanneo frigido appellentes, in guttas aqueas verti cernimus.

§. 350. Pluviarum diversitas ex nubium varietate, earumq; loco, nunc altiore, nunc humiliore, oritur.

§. 351. Pluvias, quas prodigiosas appellitamus, quarumque exempla in historiis passim locorum sunt obvia, ubi lacte, sanguine carne, lapidibus, terrâ, ferrò, lanâ, lapidibus coctis pluuisse dicitur, causis superioribus, Deo nimirum, de futuris malis nos homines commonefacienti, & Diabolo, taliscemodi prodigiis homines in terrores & superstitiones inducere conanti, adscribunt multi.

§. 352. Lac & sanguis verus naturaliter per pluvias, cum in animalibus tantùm generentur, descendere non possunt: Aliquid tamen illis simile delabi absurdum non est, cum scilicet radiis solaribus ex terrâ rubrâ vel albâ vapor in altum attollitur, aut in alto ita percoquitur, ut talem colorem referat, qui postea in pluviam resolutus speciem lactis vel sanguinis exhibeat.

§. 353. Manna est humor roridus, ex vapore cum subtilibus & pinguibus exhalationibus mistus & coctus, temperatòq; noctis serenæ frigore in infimâ aëris regione condensatus.

§. 354. An Manna, quâ populo Israëlitico ex Ægypto proficiscenti in deserto providit Deus, sit ejusdem, vel diversæ speciei? De eo ferra contentions reciprocatur, & Autores inter se dissentunt. Vallesius in suâ sacrâ Philosophiâ, aliiq; recentiores eandem omninò rem, & secundum suam naturam ejusdem speciei cum vulgari fuisse asserunt. Nos tamen utut plurima, quæ de Mannâ Hebraicâ Exodi 16. & Num. 11. dicuntur, vulgari quoque convenient, à vulgari in quibusdam, quæ circa Manna Israëlitarum contigerunt, discrepare dicimus.

§. 355. Ros non nisi serenò gignitur tempore.

§. 356. Aquæ marinæ non ex naturâ suâ, sed ex causis intrinsicis, (admixtione scilicet exhalationum terrestrium siccarum & adustarum, ac influxu Solis ex venis salis per terram sub mari sparsis ortò) suam habent salsedinem.

§. 357. Maris fluxus & refluxus Lunæ potissimum adscribitur,

tur, adhibitō tamen aliorum astrorum concursu, & consideratō terrarum ac regionum situ.

§. 358. Fontes & flumina originem suam non habent ex aquis pluvialibus in terram cadentibus; nec oriuntur omnia ex aquā de novo generata ex aëre & vaporibus; sed è mari quoque multa suam habent originem.

§. 359. Montes naturali siderum virtute in illam, quam habent, altitudinem non sunt elevati. Nec vi diluvii, juxta nonnullos, sunt formati; sed majori ex parte ab ipso Deo in initio mundi ad decus ac utilitatem universi, aliosq; illi cognitos fines sunt creati.

§. 360. Corpus perfectè mixtum est, quod ex firmiori & durabili Elementorum concretionem constat, adeoq; non facile in sua principia resolvi potest.

§. 361. Corpus perfectè mixtum duplex est, inanimatum & animatum. Inanimatum est Minerale.

§. 362. Metallum est corpus perfectè mixtum, fossile, durum, igne liquabile, & in suā naturā consistens, malleo in omnem positionem ductile.

§. 363. Metallorum materia non est aqua terræ mista, seu succus, nec sulphur, nec hydrargyrum, sed vapor aqueus, ex certā ac definita materiā, h. e. terræ & aquæ differentiā, à calore subterraneo excitatus, certāq; præparatione cum aridā exhalatione temperatus, ac in rimis saxorum & terrarum, frigiditate eorundem condensatus.

§. 364. Cum siccitatem metallorum effectricem causam Aristoteles facit, frigus intelligit, quòd materiæ inspissatæ durtiem ac siccitatem actualem inprimit & inducit. (cluditur.

§. 365. Caloris opera in procreatione metallorum non ex-

§. 366. Frigus an accidentariam metallis acquirat formam?

§. 367. Minus rectè singulis metallis singuli præficiuntur Planetæ.

§. 368. Incidit hîc quæstio: An Alchymiā vel arte chymicā verum aurum effici possit? Negativam nos tuebimur cum quibusdam.

§. 369. Loca montosa & sylvestria iis generandis aptiora videntur.

- §. 370. Corpus vivum est duplex: ἀναισθητόν, & αἰσθητικόν.
- §. 371. De ἀναισθητοῖς agit Φυτοζωοφία. De sensibus præ-
dito ζωοζωοφία.
- §. 372. Hæc doctrinam de animalibus persequitur. Anima-
lia autem alia sunt ἄλογα, alia λογικά. De irrationalibus θηριοζωο-
φία agit.
- §. 373. Animalia bruta nequaquam, licet opera consimilia
operationibus rationis humanæ faciant, rationis quidpiam ha-
bent, neq; τῷ λόγῳ χρῆσθαι, & rationalia dici debent.
- §. 374. In illorum numero maxumè sunt collocandi ele-
phantes.
- §. 375. Falsum est, quod vulgo creditur, ursam fœtum in-
formem ejicere, & postea linctu formare, sibiq; fingere similem.
- §. 376. Inter volucres vespertilionem aliquò modò referri
posse, existimamus. (volumus.)
- §. 377. Sub homine & marem & fœminam comprehendi
- §. 378. Animalia bruta viva, hominumq; cadavera Medi-
co & Physico secare, sive anatomix subicere, omninò licitum esse
putamus.
- §. 379. Dentes sunt ossa, & per se omni sensu carent. Dens
verò aureus vel ferreus per naturam generari non potest.
- §. 380. Oculorum temperamentum igneum & aqueum esse
videtur.
- §. 381. Superstitioni tribuendum, quod à nonnullis credi-
tur, absentem ex tinnitu aurium aliorum sparsos sermones de se
perferentiscere posse. (vivere possit?)
- §. 382. An sine respiratione homo horam unam vel alteram
- §. 383. Licet citra conceptionem in fœminis quandoq; ge-
nerari posse, nulli dubitamus. (tur.)
- §. 384. Firmum & indubitatum virginitatis signum vix da-
- §. 385. Semen an à fœminâ? an à mare? an ab utroque
veniat? inter Autores controvertitur. Ex quo facile se expedire
poterit, qui tum ad experientiam, tum ad fœminis rationem, quæ
vulgò ponitur, attenderit.
- §. 386. Fœminæ utut semen propriè dictum non habeant,
neq; ad generationem conferant, ad hanc tamen omninò sunt ne-
cessa-

cessaria, in iis scilicet animalium generibus, in quibus datur differentia sexus.

§. 387. Fœmina sine congressu maris, atq; sine semine masculino concipere nequit.

§. 388. In corporibus viventibus animam dari, ex operationibus, quas edunt, (cujusmodi sunt nutriri, crescere, sentire, &c.) ad oculus ferè patet, & dubitatione prorsus carere videtur.

§. 389. Anima neq; accidens, neq; corpus, neq; materia, nec deniq; actus secundus est, ut nonnulli fabulantur.

§. 390. Duplex dari potest animæ definitio, una à priori, altera à posteriori. A priori est hæc: Ἡ ψυχὴ ὅτι ἐντελέχεια πρώτη τῆς σώματος φυσικῆς τοῦ ὀργανικῆς. *Anima est actus primus corporis physici organici.* Altera à posteriori est talis: Ἡ ψυχὴ δὲ τὸ, ὃ ζῶμεν, καὶ αἰσθανόμεθα, καὶ διανοούμεθα πρώτως. *Anima est id, quo vivimus, & sentimus, & intelligimus primò.*

§. 391. Posterior hæc descriptio, si copulativè omnia, quæ in illâ sunt posita, sumantur, bona descriptio ut sic non est. Interim tamen ad cognoscendam quamcunq; animam, eamq; ab aliis formis, quæ nomine animæ non veniunt, discernendam sufficiens videtur.

§. 392. Anima est forma substantialis, materiam seu corpus organicum informans, non autem ei tantummodò assistens; neq; est temperamentum quoddam ex contrariis resultans, aut aliquod conflatum ex elementis; neq; pro ea vendi possunt atomi egredientes ac ingredientes.

§. 393. Corpus, quod est subjectum animæ, debet esse organicum, i. e. habens partes diversæ rationis, quæ sint ὄργανα ad operationes vitales exercendas apta.

§. 394. Animarum gradus, partes, vel species dantur tres, vegetans, sentiens ac intelligens.

§. 395. A multis quinque, ab aliis quatuor ponuntur viventium genera, nos verò tria tantum constituimus.

§. 396. Quæritur: An anima in omnibus & singulis præsens sit partibus, an saltem in unâ, vel quibusdam? De hoc maxumopere disceptant Philosophi; hi, ut ferè non videamus, quibus deceat adferri. Placet tamen statuere cum Aristotele.

- §. 397. Anima in corpore & vivente uno una tantum est.
- §. 398. Anima quò nobilior est, eò nobiliores quoq; habet operationes.
- §. 399. Quicquid habet animam, plures habet facultates, licet hæ non semper in actum deducantur.
- §. 400. Solam animam rationalem indivisibilem esse, contra quosdam nuperos adserimus.
- §. 401. Animæ perfectorum animalium magis videntur indivisibiles, quàm aliorum imperfectorum.
- §. 402. Quæritur, an partes, in quas animæ sunt divisibiles, sint ejusdem, an diversæ rationis? Nobis prius placet.
- §. 403. Ungues & capillos non informari animâ totius animalis, nec etiam aliâ ab istâ distinctâ, contra Bonaventuram, Durandum ac Averfam asserere lubet.
- §. 404. Anima rationalis realiter ab intellectu & voluntate vix distinguitur.
- §. 405. An potentia animæ distinguuntur formaliter ab ipsâ, & inter se? Ad quod responderi poterit diversimodè, pro diversis de animæ substantiâ sententiis.
- §. 406. Potentiæ ideò realiter non distinguuntur, quia versantur distinctis actibus circa distincta objecta.
- §. 407. Potentiæ sensitivæ non in solâ subjectari videntur animâ. Similiter nec vitales subjectantur vel in corpore, vel in animâ, sed in totò potiùs composito.
- §. 408. Anima vegetativa quoad substantiam nil videtur esse aliud, quàm artus corporis naturalis organici illius, quod potentia habet nutritionem, augmentationem ac generationem.
- §. 409. Rectè tres hujus principales numeramus potentias: Nutritivam; Augmentativam; & Generativam.
- §. 410. Generativa & Nutritiva, quia hæc per totum corpus quasi diffusa est, ista verò in determinata residet parte, non videntur identificari realiter.
- §. 411. Sensitiva anima est principium sensus & motus in corporibus organicis.
- §. 412. Sensus non sunt saltim potentia passivæ, sed & activæ.
- §. 413. Quod non habet animam vegetantem, non habet sentientem.
- §. 414.

§. 412. Anima vegetativa in omni est vivente. Etiam est illa prior natura, non dignitate.

§. 413. Non necessum est, ut sensum in agentem & patientem distinguamus. Quin potius idem & agens est & patiens.

§. 414. Objectum sensibile, seu id, quod per sensum percipi potest, magis habet esse tale à terminatione, quàm productione sensationis.

§. 415. Sensibile duplex est, vel *proprium*, vel *commune*. Illud est, quod ab uno solo sensu percipi potest, ut e. gr. color à solo visu, sonus à solo auditu. Sed hoc, quod plures movet sensus. Cujusmodi sunt motus, quies, numerus, figura, magnitudo.

§. 416. Sensus aliquando errare, aliquando verò non errare possunt. Causa erroris est nunc organum malè dispositum, ut contingit iis in ægrotis, qui cibum dulcem amarum esse judicant; nunc propter medium interjacens, quod trajectionem specierum debitam impedit, ut videre licet in baculo, qui in aquâ apparet fractus; nunc etiam magna objecti sensibilis distantia, ratione cujus illud, quod magnum est, apparet parvum, ut de Sole patet.

§. 417. Sensus circa proprium objectum non errat, ut v. g. visus circa coloratum non errat.

§. 418. Ad quosdam sensus, ut sint in actu, requiritur medium externum, ad quosdam verò nullum requiritur, ut, siquidem ab horum organis semoveris, istis verò admoveris objecta, nihil percipiatur. (non læditur.)

§. 419. Sensus à sensibili excellenti, quatenus sensibile est,

§. 420. Nulla potentia sensitiva percipere valet res spirituales, vel etiam res actu non existentes.

§. 421. Quin, potentiam materialem, quæ possit naturaliter objecta spiritualia percipere, dari repugnat.

§. 422. Sensationes conservari possunt in potentiis absque objectorum aut specierum existentia.

§. 423. Visus adeò speciebus indiget impressis, ut absq; iis naturaliter nihil prorsus videre possit. (cies?)

§. 424. Quæritur, an visio sit magis immaterialis quàm spe-

§. 425. Auditus & odoratus speciebus itidem indigere videntur impressis, quicquid etiam aliqui dixerint.

§. 426.

§. 426. An gustus & tactus, dum non nisi objecta presentia percipiunt, nullis indigeant speciebus?

§. 427. Potentiæ sensitivæ internæ species requirunt.

§. 428. Species impressæ cum objecto non planè sunt ejusdem naturæ.

§. 429. Species impressa est similitudo formalis objecti.

§. 430. Species sensibiles externæ non tantùm divisibiles sunt subjectivè & in essendo, sed etiã objectivè & in representando.

§. 431. Species impressæ divisibiles esse possunt intensivè secundùm plures intensiõnis gradus.

§. 432. Species impressæ sensus interni neq; ab ipsâ potentia internâ, neq; à potentiis externis, neque à speciebus impressis potentiarum externarum, neq; ab omnibus simul producuntur; contra Soarium & Javellum, illos partim à potentia internâ, partim à potentiis externis produci existimantes, & probabiliter afferentes.

§. 433. Species interna, quâ mediante objectum sensus interni percipitur, non ab ipsomet producitur objecto, suppositâ sensatione externâ, tanquàm conditione sine qua non.

§. 434. Species interna impressa à sensatione externâ esse videtur.

§. 435. Species propriæ à sensibilibus communibus non imprimuntur, sed hæ percipiuntur per species sensibilibus propriarum modificatas proportionaliter ad modum, quo sensibilia propria modificantur à sensibilibus communibus.

§. 436. Visus est sensus externus oculi beneficio lucem & colores cognoscens.

§. 437. De organo hujus Philosophi mirû in modum variant. Nonnulli in nervis opticis potentiam visivam ponunt. Alii tunicam retinam; quidam etiam humorem vitreum ponunt. Ex adverso alii pro Aristotelis stantes partibus, pupillam oculi, atque in eâ humorem chrySTALLINUM, verum organon visionis esse contendunt. Quos ipsos se & Aristotelem optimè contra istos defendere posse putamus.

§. 438. Similiter de adæquato objecto visus tanta, tamque perplexa eruditos exercet contentio, ut quid statuendum sit, difficili-

facilimum definitu adpareat. An tutius fortè statuetur, aggregatum ex omnibus coloribus, & ex omni luce ac lumine esse objectum verè adæquatum?

§. 439. Lumen necessariò requiritur ad visionem ex parte tam objecti, quàm medii. (videantur?)

§. 440. An tenebræ etiam per se sint visibiles, cum & ipsæ

§. 441. Visus ratione objecti, organi & modi percipiendi omnium sensuum censetur præstantissimus.

§. 442. Visio non fit per emissionem radiorum ex oculis ad objectum, sed per immissionem sive receptionem specierum visibilium intra oculum.

§. 443. Sola corpora videri possunt, non tamen per se, sed quatenus sunt lucida vel colorata. (percipiens.)

§. 444. Auditus est sensus externus sonum beneficio auris

§. 445. Organum auditus est aër ille, seu potius substantia similis intra tympanum inclusa.

§. 446. Objectum auditus adæquatum sonus est, & bene describitur, quod sit qualitas sensibilis, resultans ex forti binorum corporum solidorum percussione in aëre.

§. 447. Sonus quoad esse suum reale ad auditum non defertur, sed mediantibus speciebus impressis.

§. 448. Sonus, ut Arriaga & alii putant, ad auditum per species intentionales successivè perductas post transactum sonum non defertur.

§. 449. Nunquam auditur sonus, qui non existit, dum auditur, nec manet species impressa absque suo objecto, nec causa naturalis debitè applicata pro ullo instanti aut tempore à suo suspenditur effectu; contra Arriagam aliosq; , has omnes inconvenientias incurrentes.

§. 450. Sonus non est qualitas partim permanens, & partim successiva, secundum easdem partes reales & formales.

§. 451. Sonus non producit species sui in una parte medii, & postea in alterâ.

§. 452. Non solùm aër, sed etiam aqua est medium ad recipiendas species soni aptum.

§. 453. Num Echo ab omni sono & semper fiat?

E

§. 454.

§. 454. Num sonus semel factus realiter semper fit in medio aëre, & perpetuetur usq; eò, donec auditum non attingat?

§. 455. Tria corpora realiter distincta ad productionem soni requiruntur, quæ tamen non semper discontinua esse debent.

§. 456. Auditus visu est quasi tardior. Citiùs enim visu, quàm auditu aliquid percipimus.

§. 457. In omni sono datur aliqua reflexio. (orem.)

§. 458. Collisio corporum solidorum sonum facit perfecti-

§. 459. Olfactus est sensus externus odores percipiens.

§. 460. Proprium & adæquatum olfactus objectum est odororum.

§. 461. Odorem, qua odor est, non corpus, sed qualitatem esse, cum Aristotele ἀνεμπόδιως asserimus.

§. 462. Odorem non naturaliter sed per speciem ad sensorium deferri, affirmamus.

§. 463. Sensus odoratus, & reliqui sensus in brutis quibusdam perfectiores quàm in hominibus esse traduntur, secundum illud vulgare:

Nos aper auditu, lynx visu, simia gustu,

Vultur odoratu præcedit, aranea tactu.

Cui non obstat, quòd anima in hominibus quàm in brutis perfectior sit, adeòq; perfectiores potentias sensitivas exigere videatur.

§. 464. Gustus est sensus externus saporum perceptivus.

§. 465. Gustus præstantior est olfactu quâ necessitatem, quia potissimùm est propter alimentum.

§. 466. Tactus est sensus externus qualitatum tactilium, vulgò ita dictarum, perceptivus.

§. 467. Organum tactus non per solos nervos per totum corpus extensus, sed etiam per carnem undiquaq; diffunditur.

§. 468. Tactus & Gustus sunt potentia realiter & specie distinctæ.

§. 469. Non sunt duo tactus realiter distincti, quorum unus haberet pro objecto unam contrarietatem, nempe humiditatem & siccitatem, alter alteram, scilicet calorem & frigus.

§. 470. Objectum tactus adæquatum est illud, quod per ipsum percipi potest, illud autem non aliquod unum nomen habet
abso-

absolutum, sicut habet objectum gustus, auditus & odoratus; nec sola comprehendit qualitates primas, sed etiam secundas, quin tertias quoque, quæ vulgò ita dicuntur. Quidam interim vocant *qualitates corporeas*.

§. 471. Non solum qualitas tangibilis inhærens ipsimet animali percipitur à potentiâ tactivâ ejus, sed etiam illa, quæ inhæret objecto externo, quando debite applicatur, non verò sentitur, qualitas objecti externi per qualitatem inhærentem.

§. 472. In homine tactus magis est exquisitus.

§. 473. Tactus est sensus communissimus per omnes fere corporis partes diffusus.

§. 474. Origine & necessitate tactus sensuum est primus, dignitate verò ultimus.

§. 475. Sensus interni sunt, qui cognoscunt sensibilia sensibus exterioribus cognita, habentq; organa magis recondita, quam ullus externorum sensuum.

§. 476. Duo tantum sunt sensus interni, phantasia & sensus communis, non verò tres, neq; plures, ut alii statuunt.

§. 477. Phantasia est sensus internus, per quem cognoscimus res tam præsentis, quam absentes, speciebus ipsarum à sensu communi acceptis.

§. 478. Sensus communis est sensus internus, per quem omnia sensuum externorum objecta præsentia apprehenduntur, judicantur, & à se invicem discernuntur.

§. 479. Organum sensus communis non est cerebrum, sed cor, ut Princeps Peripateticorum Aristoteles rectissime statuit.

§. 480. Sensus communis est centrum sensuum externorum.

§. 481. Sensus communis judicat & distinguit objecta sensuum externorum.

§. 482. Sensus communis & phantasia distinctæ sunt potentia; contra illos, qui ipsum cum phantasiâ confundunt.

§. 483. Phantasia non in solo homine, verum etiam in brutis locum habet; contra Gilbertum Jacchæum, non omnes sensus internos omnibus inesse animalibus, statuentem.

§. 484. Memoria & phantasia non sunt unum & idem, sed sunt distinctæ facultates; contra multos in hoc erroris luto hærentes,

§. 485. Situs phantasiæ secundum Albertum Magnum, Thomam Aquinatem, & alios, est capitis medium; nec verò cum doctissimo Vossio videmus, quid obstet, quò minus phantasia, vel cerebrò totò, vel eò locò duntaxat exceptò, quem sensui communi tribuunt, suas ubiq; obeat functiones. Interim rem hanc aliis cordatioribus dirimendam reliquimus.

§. 486. Phantasiæ variæ & ineffabiles adscribuntur virtutes, è quibus non minima, quòd morbos parere & tollere valeat.

§. 487. An verò imaginatio externa etiam potest mutare corpora? (videtur.

§. 488. An in brutis etiam sit recordatio? Aristoteli non

§. 489. Num memoria omnes sibi impressas imagines à reliquis sensibus habeat?

§. 490. An memoria rectè quoq; attribuatur intellectui?

§. 491. Appetitus sensitivus ex re sensibus percepta oritur.

§. 492. Appetitus sensitivus elicivus cujuscunq; actus est unus tantum in homine, & quolibet animali.

§. 493. In appetitu sensitivo datur pars concupiscibilis & irascibilis, quæ tamen non distinguuntur realiter, sed unus & idem realis appetitus vocatur concupiscibilis, quatenus principiari (ut hoc verbò scholasticò uti liceat) potest aliquos actus, irascibilis verò quatenus alios diversæ actionis.

§. 494. Appetitus sensitivus subditur voluntati despoticè & politicè, sed diversimodè.

§. 495. Sensitivus appetitus cum suo actu concurrat certò modò ut causa physica immediata ad motum localem.

§. 496. Nil appetit vel averfatur appetitus sensitivus, nisi quod sensu cognitum est. (boni appetit.

§. 497. Quicquid sensitivus appetitus appetit, sub ratione

§. 498. Somnium est visum ex sensuum motu vel rerum in vigiliâ perceptarum reliquiis obortum, dormientium primo sensorio obversans.

§. 499. Quatuor recensentur à multis somniorum species: Φυσικόν videlicet, μαρτυρικόν sive præfagiens, θεόπεμπτον & δαιμονιόπεμπτον. Inter quæ illa priora ex naturâ vel constitutione corporis nostri causas habent, duo verò posteriora rectè hyperphysica vocantur.

§. 500.

§. 500. Ex præfagientibus illa, quæ superstitioni fenestram aperiunt, rejicimus, utpote quæ attendere & sana ratio, & etiam Dei nostri præcepta prohibent.

§. 501. Somnia à Deo immissa sunt quidem vera, non tamen curanda, nisi constet ea esse à Deo. (denda.

§. 502. Somnia diabolica vera esse possunt, sed non sunt cre-

§. 503. Bruta animalia æquè ac homines somniant.

§. 504. Ex phantasiæ impulsu spirituumq; transcurso fit, quod dormientes nonnulli de nocte surgunt, parietes tentant conscendere, circumvagantur, sæpèq; vigilantium instar illuc, undè abierunt, redire possunt.

§. 505. Ephialtes, quem subsaltorem & incubum vocant, ex somniis interdum procreatur. (niemus.

§. 506. Reddi potest causa, cur potiùs hoc, quàm illud som-

§. 507. Assignari potest causa, cum in somniis tam multa nova, extranea, & portentosa animo obversentur.

§. 508. Homines non tantùm noctu somniant.

§. 509. Somnia aliqua præpediri possunt & præcaveri.

§. 510. Somniantes liberum rationis usum vix habent.

§. 511. Anima rationalis est forma hominis, vim intelligendi & volendi ipsi tribuens. (tura sua.

§. 512. Anima rationalis est immortalis, & quidem ex natu-

§. 513. Animæ rationales non sunt creatæ ante corpora, sed producuntur primùm pro instanti aliquò reali, in quò corpora sunt ultimatè disposita ad eas recipiendas. (seminis.

§. 514. Anima rationalis creatur, & non producitur virtute

§. 515. Anima rationalis non est una numero in omnibus hominibus, sed multiplicatur ad individua, & in singulis est peculiaris.

§. 516. Quemadmodum secundum communiorem recentiorum doctrinam anima rationalis peculiaris & à reliquis animabus materialibus, vegetante scilicet & sentiente, distincta est anima, sic rectissimè dici potest, tres realiter distinctas animas in quolibet homine dari, & minimè unam tantùm, quæ reliquarum facultatibus instructa tam varias edat operationes.

§. 517. Anima rationalis à suo corpore est separabilis.

§. 518. Separatio animæ an successivè, an verò momento

potius peragatur, inter Autores controvertitur. Nos separationis actum in instanti absolvi dicimus.

§. 519. Status separatus animæ supernaturalis non est. Nec quoque absolute contra vel præter naturam vocari potest.

§. 520. Anima ab hoc corpore separata non subit aut migrat in corpus aliud.

§. 521. Anima rationalis duas habet facultates, intellectum & voluntatem.

§. 522. Objectum intellectus est omne illud, circa quod intellectus versatur, vel quod ab intellectu potest concipi. Quod ipsum unò aliquò genere, sub quò omnia comprehendantur, quodque de iisdem univocè prædicari possit, definire difficilimum erit.

§. 523. Interim assignari posse videtur unum aliquod intellectus objectum explicabile sine ordine ad intellectum, quod comprehendat omnia, quæ possunt ullâ ratione in quòcunque statu ab intellectu considerari, & illud non est verum formaliter, sed potius ens. Quò sensu quoque potest ens vocari objectum terminativum adæquatum intellectus.

§. 524. Quidditas rei materialis non est objectum adæquatum terminativum aut motivum intellectus humani, neq; ex se, neq; in statu separationis, neq; in statu conjunctionis cum corpore.

§. 525. Quidditas rei materialis non est objectum motivum intellectus pro hoc statu, sed potius ens sensibile ut sic, comprehendens omnia, quæ apprehendi possunt per sensus externos.

§. 526. Non benè assignatur pro objecto adæquatò naturalis attingentiæ intellectus pro hoc statu ens finitum, non dicens ordinem ad supernaturale increatum, sed potius ens ut sic, & quatenus comprehendit omnia, quæ possunt cognosci à nobis pro hoc statu.

§. 527. Non soli conceptus rerum universales comprehenduntur sub objecto intellectus etiam pro hoc statu, sed & singularia materialia. Non potest tamén de ullis singularibus habere cognitionem distinctam, per quam unum posset distinguere ab aliis sibi propositis.

§. 528. Intellectus non potest esse causa totalis conservati-

§. 529. Intellectus agens & possibilis non distinguuntur realiter

liter

liter, sed fortè formaliter saltem (ut nonnulli Scholasticorum vo-
cant) & ex natura rei.

§. 530. Non solùm intellectus possibilis, sed etiam intelle-
ctus agens, ut agens, reperitur in anima separata. (gvantur?)

§. 531. An intellectus angelicus & humanus specie distin-

§. 532. Cognitio intellectiva formaliter in receptione spe-
ciei intelligibilis non consistit.

§. 533. Intellectio nulla, neque abstractiva, neq; intuitiva,
consistit in actione verâ & propriè dictâ, quæ scilicet sit de prædi-
camento actionis.

§. 534. Intellectio non consistit in qualitate, quæ se ipsâ pro-
ducatur ab intellectu sine actione mediâ. Et si esset talis qualitas à
parte rei, adhuc, quod haberet talem rationem, esset impertinens
ad rationem ipsius, quatenus intellectio est.

§. 535. Intellectus formaliter non consistit in actione solâ,
per quam intellectus producit qualitatem illam in se, quam habet
quando intelligit; neq; actio illa, aut passio, est de ratione formali
intellectionis.

§. 536. Non solus intellectus est causa qualitatis in eò pro-
ductæ, sed cum eo concurrunt phantasia, vel immediatè, si non den-
tur species impressæ intelligibiles, vel iis mediantibus, si dentur.

§. 537. Intellectio licet connaturaliter loquendo petat pro-
duci ab intellectu, non tamen implicat, quin etiam absq; ejus con-
cursu effectivo producat à solò Deò.

§. 538. An intellectio extra omne subjectum produci possit?
Ita multis videtur.

§. 539. Secundùm eosdem intellectio in aliò subjectò quàm
intellectu (ut in voluntate, quamvis hæc distingueretur realiter ab
intellectu,) de potentiâ Dei absolutâ poni potest; quin etiam in
lapide, si non repugnaverit hoc ratione spiritualitatis.

§. 540. Per intellectionem non producitur alia qualitas di-
stincta à qualitate illâ, in quâ intellectio consistere dicitur; con-
tra Complutenses.

§. 541. Quotiescumq; intellectus intelligit per intellectio-
nem à se productam, habet in se verbum productum.

§. 542. Quando cognoscitur aliqua res cognitione distin-

et

Etā secundūm se & suas partes, non prius cognoscitur quoad gradus superiores, seu magis universales, quā quoad inferiores & minūm universales, in quibus illi gradus superiores non includuntur tanquā partes. Debet tamen prius cognosci quoad gradus superiores, quā quoad inferiores, in quibus gradus superiores tanquā partes includuntur.

§. 543. In cognitione confusā, quā cognoscitur res insensibilis debite applicata, sic, ut possit determinare ad conjunctionem sui secundūm rationem minūm universalem, & magis sibi propriam, cognoscitur primūm secundūm illam rationem propriam. V. g. albedo, quando applicatur in illā distantia visui, ut causare possit visionem sui, quatenus albedo est, primò omnium cognoscitur secundūm illam rationem ab intellectu.

§. 544. Quando cognoscitur res cognitione confusā per discursum mediantibus effectibus & operationibus, aliquando cognoscitur prius secundūm rationes minūm communes, aliquando secundūm magis communes.

§. 545. Voluntas est animæ rationalis facultas, quā bonum ab intellectu cognitum homo appetit, & malum averfatur.

§. 546. Bonum ut bonum est objectum adæquatum voluntatis.

§. 547. Voluntas nec amare, nec desiderare, nec velle potest, nisi quod proponitur ipsi sub ratione aliquā boni.

§. 548. An, quia voluntas tam directe ferri videtur in malum, ipsum fugiendo, quā in bonum, ipsum amando, utrumq; non autem solum bonum dici debeat adæquatum ipsius objectum?

§. 549. Non requiritur iudicium de bonitate objecti ad hoc, ut voluntas feratur in illud, sed sufficit quandoque nuda apprehensio de ipsā, & ipsius possibilitate,

§. 550. Voluntas est potentia libera.

§. 551. Libertatem habet voluntas, quatenus activa est, ita ut, nisi esset activa, non posset esse libera.

§. 552. Voluntas habet libertatem circa media. Sed finem quod attinet, videtur, ac si ad nullum finem cognitum pro hoc statu determinetur. An verò ad amandum finem ultimum necessitare poterit?

§. 553.

§. 553. Volitio efficax & inefficax non distinguuntur specie, sed tantum accidentaliter.

§. 554. Volitio inefficax est actus præsens actualiter in eo, qui sic vult, & potest versari circa objectum, quod non solum est impossibile secundum quid, ut e. g. hominem, qui peccavit, non peccasse, sed & simpliciter, ut e. g. est æqualitas creaturæ cum Deo.

§. 555. Voluntas inefficax versari potest circa impossibile quodcunque.

§. 556. Non vult quis finem & media eodem actu, nec e contra media & finem. Igitur idem actus realiter non est electio & intentio.

§. 557. Actus elicited voluntatis, v. g. volitio, non habet ex naturâ suâ intrinsecâ esse liberum actu.

§. 558. Productio actus cujuscunque liberi est libera se ipsâ ex naturâ suâ intrinsecâ, & non per denominationem extrinsecam.

§. 559. Necessitari non potest voluntas creata ad producendam in se ullam volitionem aut nolitionem.

§. 560. An Deus possit necessitare voluntatem creatam materialiter?

§. 561. An voluntas perfectior sit intellectu? Nos neutram potentiam alterâ omni modô perfectiorem, sed quamlibet in suo ordine perfectam, & unam alterâ in unâ ratione perfectiorem, in alia verò imperfectiorem dici posse defendemus.

Hæc sunt, Lector Benevole, quæ ex totâ Naturæ serie Musæ sibi vendicârunt nostræ. NUMINI itaq; TRINUNI pro concessis viribus laudes gratesque decanto sempiternas, ipsumq; devotissimô, & ad preces unicè inclinante invoco pectore, velit porrò benignâ suâ gratiâ clementissimè mihi adesse, ut non tantum ex hoc tortuoso controversiarum labyrintho feliciter evadam, sed etiam omnia dicta, facta & cogitata mea unicè in æternam sanctissimi Sui nominis gloriam cedant & vergant.



2. 273. Voluntas est efficax & inefficax non distinguitur
 sed tantum accidentaliter.
 2. 274. Voluntas inefficax est actus preteritus & cessans
 non hinc, & non illinc, sed per defectum, quod non est
 impossibile secundum se, sed per defectum, qui potest
 peccare, sed & impeditur, e.g. in actu, qui cessat, qui
 2. 275. Voluntas inefficax veritas potest esse impossibile
 quodammodo.
 2. 276. Non vult quis facere & modis eodem modo
 ut vult & facit, licet idem actus voluntatis non sit
 tantum.
 2. 277. Actus voluntatis voluntatis, g. voluntas non
 tantum sed voluntas esse libere actus.
 2. 278. Proinde actus voluntatis libere libere
 et non libere libere, sed per defectum voluntatis
 2. 279. Necessitas non potest veritas extra ad
 eandem in se aliam voluntatem aut necessitatem.
 2. 280. An Deus possit necessitate voluntatem
 materialiter?
 2. 281. An voluntas perfectior sit intellectus? Non
 potentiam alteram omni modo perfectioram, sed pariter
 etiam perfectior, & magis in se, & magis
 alia vero imperfectiora, & magis imperfectiora
 ita licet, licet non vult, & ex se, & licet
 sit veridicam nota. NEMINEM VULTUM pro conceptu
 virtus laudes gratiasque deo in seipsum, inquit, de virtute
 me & ad preces unius instantis in me, in seipsum, in
 que in gratia clementissimè mihi scilicet, in non tantum, & hoc
 toto controvertitur labyrintho, & in seipsum, & hoc
 omnia dicta facta & cogitata non vult, & in seipsum, & hoc
 sui nominis gloriam cogitare vult.

VDA



